

conveniunt, cujus sub Prælationis istius pondere suspiria lacrymæque describit Edmerus: Cum, inquit, pro amissa status sui tranquillitate veberentissime ficeret, ab onere Prælationis, quod sibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur, magnopere (*Maurilium*) Archiepisc. Rothom. coepit rogare. *Ipsi vero Maurilius præcepit ut prælatio nem, quam habebat, reineret.*

Denique quod gratiam loca commissa ordinandi auctor orationum postulet, Johannem Fiscarensem, qui duo regebat Monasteria, ut quid arguit? quasi vero plures Ecclesiæ regere credatur sacerdos quisquis in fine Brevium litaniarum recitat orationem in qua hæc verba, *locum nobis commissa*, expressæ leguntur.

Uni igitur Anselmo Cantuariensi jure merito istas orationes afferimus, quas non Fiscarenensis modo, sed & Durandus Casæ-Dei Abbas ab anno 1068. ad annum 1078. & plures alii multo pietatis studio exceperunt & collegerunt.

Advertendum 2. ex orationibus, quæ nullo dubio sunt Anselmi, videlicet ex orat. ad S. Petrum, ad S. Paulum, ad S. Nicolaum, ad S. Benedictum, plurima excerpta esse ex quibus magna ex parte compositi sunt liber de *Contritione cordis*, & liber Meditationum qui in tom. 9. operum S. Aug. habentur; & de quibus propterea quid sentiendum sit, infra pronunciabimus. 3. orationem 71. minus recte inscriptam esse ad sanctum Martinum; cum ad S. Nicolaum eam se fecisse ipse Anselmus scribat in epist. ad Baldricum, quæ est 51. lib. 2. in qua etiam indicat eam paulo antequam in Angliam ipse transfretaret, esse compositam, videlicet circa idem tempus quod librum de Incarnatione Verbi contra Rofcelinum inchoaverat. Extat hæc oratio sancti Nicolai nomine inscripta in Ms. Monasterii de Lira.

.

CENSURA PSALTERII

Beatæ Virginis.

ILUD D. Picardus primus in lucem misit; haud dubie ex aliquo Ms. quod sancti Anselmi nomen præfert. P. Rayn. nullum habuisse illius operis Codicem Ms. faretur. Ego quidem incidi in duos, videlicet unum Victorinum, & alterum Floriacensem in quibus huiusque Platerii initium usque ad Completoriorum habetur: sed in utroque cætera desiderantur, & in neutrò legitur nomen auctoris. Occurrit etiam mihi in nostræ Biblio. Codice Ms. 345. Psalterium B. V. & aliud etiam in Ms. Biblio. Regia: sed duo prorsus alia sunt ab eo quod hic editum est, & ab eo quod S. Bonaventura composuit.

.

JUDICIUM LIBRI

De contritione cordis.

PRIMI Capitis ultima pars, cum secundo capite, tota ad verbum sumpta est ex postrema parte Meditationis I. quam S. Anselmus anno 1099. scripta de humana Redemptione.

Terri Capitis pars posterior: *Qualem me fecisti*, &c. Et prior pars Capitis 4. usque ad hæc verba: *Anima mea ante omnia*, &c. decræta sunt ex sancti Anselmi oratione ad S. Johann. Bapt. Altera pars istius Capitis 4. sunt autem hæc, &c. transsumpta est ex oratione 4. ad Deum, quæ incipit: *Altissime*, &c. Ultima tandem pars ab his verbis: *Quam tolerabilius*. &c. & initium capitis sequentis usque ad ista: *Noli Domine &c.* translata sunt ex 2. indubitateque S. Anselmi Meditatione, cuius initium est: *Terret me &c.*

Ab istis autem verbis: *Noli Domine &c.* ad hæc, *Parce peccatrici animæ mee* &c. deprompta sunt ex ultima parte tertiae Meditationis sancti Anselmi, quæ est deploratio male amisæ virginitatis.

Ab his quinti capitis verbis: *beu miser semper* &c. usque ad ista: *perversum etiam &c.* emendata sunt, inverso licet ordine; ex S. Anselmi oratione tertia ad Deum. Ab istis autem, *perversum etiam &c.* usque ad ista: *O peccata &c.* excerpta sunt, mutato tamen ordine, ex oratione ad S. Bened. quam esse sancti Anselmi constat.

Ab iis porro verbis: *O peccata &c.* usque ad hæc: *Exaudi ergo*, &c. quæ sunt initium capitis 10. sumpta sunt ex oratione ad sanctum Nicolaum, quam ipse Anselmus se fecisse declarat in epist. 51. l. 2. Ab his: *Exaudi ergo &c.* ad ista: *Sed unde Deus meus &c.* extracta pariter sunt ex præfata orat. ad S. Nic.

Ab istis: *Sed unde Deus &c.* ad hæc: *Memento &c.* sunt ex tercia sancti Anselmi Meditatione, quæ est de Virginitate male amisæ.

Ab his: *Memento &c.* ad ista: *Deus meus, in te pono &c.* deducta sunt ex fine Orationis ad sanctum Nicolaum, & ex Meditatione de male amisæ virginitate.

Ista capitis ultimi: *Peccare est Deum inbonorare &c.* sunt ex 11. Meditatione, quam sanctus Anselmus Lugduni composuit, & ex pluribus aliis eius capitulis.

Hæc ejusdem capituli: *beu me, peccavi &c.* ad ista: *Deus Dominus cujus &c.* exscripta sunt ex 2. sancti Anselmi Meditatione. Hæc tamen verba: *Ve male agenti &c.* transsumpta sunt ex oratione ad sanctum Paulum; ex qua etiam decræpta sunt ista: *Deus cujus bonitas &c.* usque ad hæc: *Scio quidem & fateor &c.*

Ex his autem omnibus fit evidens librum de *contritione cordis*, cuius auctor incertus fuit ipsi sancti Augustini censoribus, sive compositum ab aliquo recentiore, qui sancti Augustini & sancti Anselmi sententias, quæ magis ad cor dis contritionem movere possunt, studiosissime colligit, & ex ipsis librum hunc aptissime concinnavit.

JUDICIUM LIB. MEDITATIONUM,

Qui inter S. Augustini opera circumfertur.

DUO Meditationum libri extant in tom. 9. operum sancti Augustini: unus inter ejus opera, alter in Appendix editus est: de secundo, cui nihil cum Anselmi Meditationibus communne est, nihil hic staruimus: sed de primo quid sen-